Hamilton (James) 4th Duke of Hamilton
1489.99.1(13)



In Obitum Illustrissimi Principis
JACOBI Ducis de *Hamilton*, *Chatelrault*, & *Brandon*,
Proditorie occisi, Die 15to. *Nov.* Ann. 1712.

CARMEN ELEGIACUM.

HEU! jacet indignâ *HAMILTONUS* Cæde peremptus;
At non Marte tuo, *Mune*, vel Arte cadit.
Tu peris Enſe Ejus, *Stygias* & pulſus ad Umbras
Exultas, Tanti quod peris Enſe Viri:
Scilicet inviſæ Lucis tædebat, & Auſu
Illuſtri ardebas nobilitare Rogum,
Ante quidem multo famoſus Crimine. Verum
Improbus ille magis, perfidiorque fuit,
Qui cum victus erat, Suaſor licet ipſe Duelli,
Et licet immerito vivere poſſe datum,
Horrendum! arripuit, male quo pugnaverat, Enſem,
Et ſubito Incautum, Proditor, Enſe ferit:
Addidit ignavo ſtimulos, auxitque furorem
Gens ea, quoſque Probos quæ periiſſe velit;
Gens ea, quæ toties *Oxono* tollere Vitam
Tentavit, nimis ah! docta parare Dolos:
Hæc eadem Gens vafra, ferox, patricida, rebellis,
Semper amica Malis, ſemper acerba Bonis,
HAMILTONE, Neci potuit Te tradere; ſed Tu
Æternum vives ſedibus Elyſiis,
Magnanimos inter *Gramos*, forteſque *Stuartos*,
*Vallam*que ingentem, Semideumque *Bruſum*;
Gordonii Proceres aderunt, aderitque *Locartus*
Doctiloquus, necnon *Duglaſiana* Cohors,
Atque Tui, quotquot fuerant longo ordine, Patres
Digni *HAMILTONA FERGUSIA*que Domo;
Hos inter, Regum Soboles, nec Regibus impar
Vives, Teque olim Fama loquetur anus.
Et Tua (quod Merces Tibi maxima) Fata dolebit
ANNA, *Stuartorum Plantagenum*que Decus.

EDINBURGI,
Typis ac Impenſis JACOBI WATSON, M.DCC.XII.

CAMBRIDGE UNIVERSITY LIBRARY